De uteri scirrho et carcinomate cum graviditate complicatis. Dissertatio inauguralis medica ... / auctor Carolus Gotthelf Stricker.

Contributors

Stricker Carolus Gotthelf, 1794-Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Berolini: Typis Th. Bruschcke, 1820.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/bhkgf6wh

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

UTERI SCIRRHO ET CARCINOMATE CUM GRAVIDITATE COMPLICATIS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU ET AUCTORITATE

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VII. M. APRIL. A. MDCCCXX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS GOTTHELF STRICKER

KOENIGSHAINIO - LUSATUS.

OPPONENTIBUS

DR. HOEFFT ET DR. HERRMANN.

BEROLINI TYPIS TH. BRÜSCHCKE.

UTERISCINRIO ET CARCINOMATE CUM GRAVIDITATE COMPLICATIS

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

MADO

GRATICSI MEDICORUM ORDINIS CONSUNSU ET AUCTORITATE

IN DELVERSITATE LATTERABLE BEROLINESS

N MEDICHEA ET CHOUNCIA HONORÉS
AVE SISI CONCEDANTUR

DIE VIL II. APRIL. A. MIDOCCHA,
II. I. Q. B.
PITHLICE DEFENDET

HOTHUA

CAROLUS COTTHETH STRICKER

AND PRACTICE OF STREET, STREET, STORE

.

DE HOLFFE HIDE, HERRMANN,

BELOLING TYPES THE SECTIONS

Causis, quae decursum graviditatis partusque normalem impediunt, semperque exitum afferunt lethalem, uteri scirrhus et carcinoma cum graviditate conjuncta, certe adnumeranda sunt; hic enim atrocissimus sexus sequioris morbus, ob multa impedimenta, absconditam sedem, pudicitiam foeminarum propriam, ac deinde ob facilem symptomatum, quae hoc malum comitantur, cum aliis, quae saepius per graviditatis decursum occurrunt, morborum signis confusionem, non solum difficile cognoscitur, sed etiam omnibus usque adhuc medicamentis pertinacissime repugnat, ita ut uterus gravidus hoc malo haud raro jam totum mulieris organismum turbante nullo modo liberari atque functionem suam foetum bene nutriendi ac usque ad tempus aptum servandi, deinde autem expellendi, perficere possit. Nulla autem corporis humani pars tam saepe scirrho et carcinomate afficitur, quam uterus, qui contextu spongioso ac multis vasis, inprimis lymphaticis atque venosis permixto gaudet, eaque de causa ad

inflammationem prae ceteris venosam inclinat, menta autem tam varia, quae uterum multis per vitam mutationibus subjectum, si pubertatis, graviditatis, partus atque stadii decrepiditatis rationem habeamus, movent, quo facilius inflammationem gignere et protrahere, eo magis et scirrhum adducere Proinde quoque uteri pars, cum ob formationem, situm et functionem causis hunc morbum inducentibus prae ceteris exponatur, uteri collum dico, omnium maxime hoc malo affligitur; rarius enim totum uterum, saepissime vero partem ejus aliquam, scirrho laborare videmus. Simili modo scirrhus per totam vitam in uterum vim suam non exercet, sed mulieres ab anno aetatis tricesimo ad quadragesimum usque, quae jam saepe pepererunt, et in quibus uterus ex ordine ceterorum, quae functionibus prospiciunt, organorum mox excedit, praecipue invadit. Puellas ante pubertatis periodum, quibus uterus quasi organon mortuum, vel certe nondum vita instructum vegetiori latet, uteri nec scirrhi nec carcinomatis quae adfecerint, exemplum exstat, Quamquam Wigandius 1) uterum puellae quatuordecim annorum scirrhosum se vidisse commemorat, a dictis tamen non abhorret, cum hac puella menstruationis appropinquantis, morbo quodam impeditae, vestigia se manifestaverint. Nec in stadio de-

Dr. J. J. Gumprecht und Dr. J. H. Wigand, IIs Stück. S. 155.

bene finito, quo uterus ad similem quem supra laudavi, statum redit, huic morbo, nisi jam antea lateret, subjectum eum esse, non observatur. Uterum scirrho laborantem tamen interdum gravissimam functionem rudimenta hominis prima in se recipiendi atque tempore sequenti formandi, peragere posse, exempla quidem pauca, nihilominus autem notatu dignissima docent. Unius autem hujusmodi exempli, quod ab Illustriss. de Siebold observatur, ac mecum benevole communicatum est, accuratam descriptionem lectori tradere mihi in animo est. Priusquam tamen hujus morbi historiam enarrem, morbum ipsum, uteri scirrhum atque carcinoma breviter delineare non alienum esse mihi videtur.

S. II.

Maxime inter se different auctores in scirrho definiendo, quamquam hoc ipsum malum certe antiquissimis jam medicis notum fuit; sed natura ejus tam densis tenebris obvelatur, ut haud mirandum sit, quod celeberrimi omnium aetatum medici in diversissimas de illa sententias abierint. Haec autem sententiarum diversitas luculentissime cuilibet apparebit, modo Jo. Grashuysii, 1) Ptr. Camperi, 2)

t) Exercit, med. chirurg. de scirrho et carcinomate. Amsterd. 1742.

²⁾ Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte, Bd. XI. pag. 509. sqq

Guil, Leursii 1), Bellii 2), Richteri 5) aliorumque evolvat scripta, eam vero multis verbis exponere atque digerere et propositum hujus commentarioli et arcti quibus circumscribitur limites non permittunt, Scirrhum tumorem esse frigidum, durum; indolentem cuti concolorem, praecipue in partibus glandulosis, quam plurimi pathologi docuerunt. Quam definitionem omni respectu valere non posse, facile quisque intelliget; observationes enim non desunt, quibus scirrhum ab initio mollem dolentem et aliis molli quidem structura gaudentibus, tamen non glandulosis partibus, verbi causa utero insedisse, comprobatur; imo vero saepe tumores descriptioni superiori consentaneos ad scirrhos referre non licet, Scirrhi characterem accuratius delineare mihi videtur definitio omni casui quidem non apta, quae eum esse tumorem partium mollium quendam durum, ad tactum renitentem, inaequalem, tuberosum, decursum chronicum observantem, primis ab initiis indolentem, postea autem dolentem, proclivitatem in carcinoma abeundi prae se ferentem dicit. Eaque de causa, cum uterum respicimus, praeternaturalem hujus organi indurationem chronicam, tuberculosam, eximia duritie praeditam atque ad ulcus cancrosum tenden-

¹⁾ Ebend. Bd. XII. p. 263 - 413.

²⁾ Benjamin Bell, Lehrbegriff der Wundarzneykunst. Bd. V. p. 166. sqq.

Bd. I. p. 262. S. 426.

Indurationis autem jam descriptae status, quo dolores exoriuntur prurientes, lancinantes, punctorii,
urentes, qui primo per intervalla, postea vero frequentius redeunt ac denique continenter et acerbe
aegram extorquent, et locus durus tunc elevatus
ipse in ulcus abiit apertum, quod acrem, malaeque
indolis, foetidum, partes vicinas corrodentem atque
exedentem humorem stillat, notionem carcinomatis
nobis praebet.

§. III.

Omnia autem figna, quae de uteri scirrhi carcinomatisque praesentia nos certiores reddere possunt,
tria in stadia divisa, quae ad scirrhum exortum,
ejusque decursum inflammatione nova alienatum,
denique vero carcinoma spectant, nunc accuratius
investigare juvabit.

nosis hoc stadio saepissime nos fugit, quia foemina hoc afflicta levissimorum signorum, quae scirrhi originem atque formationem comitantur, rationem non habet, eaque de causa symptomata accuratius perscrutandi et aestimandi medico occasio deest. Leves regionem pelvis permigrantes et subinde redeuntes ictus, dolores in ossis sacri regione lancinantes atque colica menstrualis inflammationis ad indurationem transitum plerumque indicant, nec ab aegrota autem mox illis praetereuntibus magni momenti putantur. Indurationem hoc modo exortam scirrhosam initio sine magnis moles.

tiis aegra fert, et modo nonnunquam obtusum haud diu persistentem dolorem in pelvis regione sensit. Menstruorum fluxus hoc tempore a typo regulari, si fiat, modo parum recedit. Mucosa in utero atque vagina adaucta secretio, fluor sic dictus albus nostris quidem temporibus valde frequens et permultis aliis de causis dependens, inprimis autem exploratio interna, quae, cum scirrhus portioni vaginali insideat, eam duram atque firmam, licet adhuc nondum tuberosam offert, plerumque medico scirrhosam hujus indurationis naturam significat, aut ejus adtentionem certe movet. Qua in conditione aliquot annos, imo vero decennia haec induratio persistere potest. Si vero post aliquod tempus dicta phaenomena augeantur, atque complures hujus mali molestiae prodeant, stadium secundum observare licet. -

Quo stadio induratio scirrhosa celerius accrescit. Aegrotae nunc ponderis in pelvi cujusdam est sensus, mensium fluxus cum variis molestiis ac doloribus adauctis incipit atque perdurat. Inprimis vero foemina hacce periodo scirrhosi uteri, qui pressionem in vaginam molestam exercet, pondus sentit, nec non multis per situm erectum et alios corporis motus doloribus afficitur. In exploratione externa abdomen paululum tensum et uterus, si scirrhus ejus fundum occupavit, supra symphysin ossium pubis durus interdum contrectatur. Partes genitales externae plus minusve tument, et a materia mucosa, quae majori scopia sin vagina secernitur, humectantur; Immisso per vaginam digito portionem vaginalem durissimam, inaequalem ac dolorosam, raro tumidam

sentire licet. Aegrotae per longum tempus loca tacta dolentia conqueruntur. Inter coitum non solum, sed etiam eo finito dolores sentiuntur. Nonnunquam utero tumescente et e cavitate pelvis exeunte portio vaginalis digito vix ac ne vix quidem adtingi potest. Tunc vero uterus per intestinum rectum exploratus corpus durissimum atque expansum reperitur. Dolores partis laesae vehementius saepe pungentes et urentes, nulla apparente causa aegrotam cruciant. Systema reproductivum illo tempore plus minusve malo participatur, nec non affectiones hystericae systema nervosum affectum esse, indicant. Pars indurata denuo inflammata humorum confluxu intenditur atque singula tubercula elevata producit, quae rumpuntur et materiam malae indolis emittunt, quo quidem stadium secundum finitur.

Stadium tertium. Dolores vehementes, urentesque sine intermissione perseverant, nec non cum punctoriis fugacibus, qui pelvis regionem perstringunt, sociantur. Perpetuus subflavae, e flavo viridis, cinereae aut subfuscae partibus scirrhosis secretis permixtae, partes vicinas corrodentis celerius tardiusve inficientis ac foetorem dispergentis materiae una cum urina fluxus, ulcus carinomatosum maxime patefacit. Simul semper in vagina ut in uteri prolapsu sentitur pressio. Quae corroduntur vasa repente sanguinis copiam intervallis brevibus emittunt. Hoc tempore partes huic malo proximae plane destruuntur, ita ut loco oris atque colli uteri solum crassus atque durus valde dolens circulus, tota au-

tem inferior uteri pars cartilaginosis, sulcatisque excrescentiis, quae semper magis magisque adaugentur, et demum vaginam claudunt, obtecta tangatur. Gradu inferiori portio vaginalis illaesa quidem, sed durior, inaequalior, rugosa, striata et labiis oris uteri tumescentibus observatur. Sin autem totus uterus laborat, ejus destructiones exploratione per intestinum rectum cognuscuntur, quod demum ita fit, ut vesica urinaria et ceterae partes cum utero connexae haud raro in consensum vocentur. Paralysis unius alteriusve cruris non nunquam sequitur; Menses plane intercipiuntur aut validissimis cum doloribus fluunt. Aegrotae hoc tempore claudicantes cruciatus vehementes accusant. Systematis functiones reproductivi magis magisque laeduntur, proinde adspectus totius corporis cacochymicus, appetitus plane depravatus, pressionis sensus in regione ventriculi, ructus acidus, nausea, vomitus, aphthae ab acido ventriculi acri originem trahentes, abdomen flatibus tumefactum, obstructio, oedema, colliquationes atque demum corporis macies ac febris lenta praecipue vesperi exacerbationem promovens, qua aegrotas cephalalgia et doloribus in omnibus partibus lancinantibus correptas conspicimus. Partium afflictarum destructio sub doloribus violentis atque per diem noctemque infelicem turbantibus in dies crescit. Complures uteri labefactati partes solvuntur atque vagina prodeunt, postremum autem mors jam diu exoptata vel prostratione virium summa vel haemorrhagia adtrunutur, ita ut loco oris atque colli utali ducitur.

crassus atque dures vaide dolens circulus, tota ou

S. IV.

Uteri inflammatio et hanc sequens humorum stasis, ad quam hujus organi structura, situs et plethora periodica, nec minus variarum in conceptione, graviditate, ante et post partum materiarum secretio disponunt, causam scierhi uteri proximam constituunt. Inflammatio vero arteriosa non solum, sed etiam venosa, quam praecipue uteri spongiosa, lymphatica atque venosa textura adjuvat, eo facilius exitum indurationis adducit et lentum ob decursum levissimaque signa, quae eam comitantur, difficile percipitur.

Ad causas praedisponentes pertinent tenera, debilis, roboris expers atque sensibilitate irritabilis corporis constitutio vel congenita, vel aliis morbis acquisita, nec non habitus scrofulosus. Hereditaria quaedam dispositio, quae, quamquam ad hoc usque tempus a nullo sat explicata est, tamen permultis exemplis confirmata negari nequit. Exinde elucet, scirrhum non semper morbum esse localem, qui partis exstirpatione affectae removeri possit, sed haud raro in toto individui organismo ita latere, ut non solum omnis bonae indolis induratio facillime in scirrhum mutetur, sed etiam parte scirrhosa uno in loco remota in altero rursus appareat. Quod ad aetatem attinet, mulieres intra tricesimum et quadragesimum aetatis annum, multiparas praesertim, quae jam multis et in partu ipso et in puerperio hunc morbum faventibus momentis expositae erant, affici supra jam proposui. Praegressa partim totum organismum vexantia, partim prae ceteris systema genitale infirmantia momenta ad causas praedisponentes
accensenda sunt; ad classem primam autem omnia
animum deprimentia spectant pathemata, hac ex
causa timor, moeror, sollicitudo, amor infelix, usus
veneris denegatus, deinde alimenta mala, aër depravatus etc.; quoad secundam enumerare licet, frequentem fluxus menstrualis perturbationem aut suppressionem, uteri inflammationem post puerperium saepe
repetitam et neglectam, haemorrhagiae uteri praegressae; quaecunque vero momenta nocifera sub
finem laudavi et causae occasionales existere possunt.

Inter causas occasionales praecipue nominanda est refrigeratio abdominis et inprimis partium genitalium, saepissime abusu fomentationum injectionumque frigidarum excitata. Potissime autem ei expositae sunt mulieres, in quibus genitalia ob frequentiores partus atque difficiles adeo amplificata sunt, ut aër atmosphaericus ad uterum usque facillime penetrare possit; huc quoque refrigeratio pedum menstruationis tempore accedit. Neque minus emenagoga, congestiones locales excitantia, sicuti nimiae incitantes, adstringentes aut calidae injectiones ad uteri haemorrhagiam sistendam incaute adhibitae, virus syphiliticum, congestiones haemorrhoidales, metastases materiae lacteae in uterum, frequentes metrorrhagiae, fluor albus benignus ac malignus, atque ejus, nec minus menstruorum lochiorumque repentina suppressio. Coitus praecox et nímius praecipue fluxus menstrui periodo exercitus, nec non onania

adnotari merent. Causas mechanicas uteri scirrhi frequentes non negligemus, pressionem nimirum male formati aut materia nociva circumdati nec bene applicati pessarii, partus frequentes atque difficiles, uteri ostii contusiones atque laesiones ex instrumentorum cujusvis generis usu exortas, concubitum frequentem, si uterus in vaginam profunde intraverit, aut membrum virile normalem magnitudinem excedat, ita ut partem uteri inferiorem nimis irritet, masturbationem, explorationem rudem, separationem placentae violentam, si ea praecipue segmento uteri inferiori affixa fuerit.

S. V.

Morbi hujus prognosis non nisi pessima dici potest, quum experientia docuerit, hunc ocius seriusve, praesertim si decursu suo ad cancrosam metamorphosin usque jam pervenerit, mortem adducere. Majori spe medicus teneri potest, si statim ad morbi originem advocetur, aut syphilis scirrhi causam exhibeat. Exempla quidem exstant, uterini scirrhi remoti, quod etiam rebus faventibus, quamquam raro, fieri potest, quia jam propria hujus organi constructio, graves ejus functiones atque conjunctiones cum aliis organis, multae, quae vim suam in hunc facilius exercent, causae nocivae, mali incrementum non solum adjuvant atque accelerant, sed etiam uteri situs occultus, remediorum adhibendorum usum ac effectum difficiliores reddit.

g. VI.

Quod attinet dirissimi hujus morbi curationem,

jam e supra dictis patet, eum raro, nec nisi primo scirrhi stadio, quo, ut supra vidimus, sub forma inflammationis evadit, bene procedere. Qua de causa inprimis methodus antiphlogistica, non solum ad inflammationis indolem, sed etiam ad ejus gradum moderanda, huc spectat. Experientia autem constat, scirrho jam ad secundi stadii finem, transitum ad carninoma usque provecto, cum paene nunquam remediis omni cum circumspectione adhibitis tam externis, quam internis, quanta quoque corum hunc ad finem commendatorum copia existat, ad perfectam sanitatem perduci posse. Saepissime tunc medicus, cum curatio radicalis ei non data sit, non nisi symptomatice agat, nec non secundum therapiae generalis regulas conformet medicinam oportet. Quae cum ita sint, cum Petr. Camperus 1) dictitans, cancrum verum in omne remedium recalcitrare, opinionem insuper comprobet, minime mihi videor taxandus esse, quod hoc loco nec in regulis, quas medicus in hoc curando observare debeat, nec remediis, quae contra uteri scirrhum cancrumque adhibita sint, et opere de hoc morbo quocunque legantur, enumerandis diutius haerere noluerim, praesertim cum mihi tam nova medicamenta magnae a scriptoribus jam laudatorum moli adjungenda, tam nonnulla ex his quam sic dicta specifica indicanda non sint in promptu, insuper quoque et temporis defectus, et brevitas opusculi necessaria, ut ad tramitem propositum redeam, me cogat.

¹⁾ Saml, für prakt. Aerzte. Th. XI. p. 514.

Aldre C. VII. chadlemen and

Quibus de cognitione uteri scirrhi carcinomatisque breviter praemissis jam de ejus complicatione cum graviditate, nonnullal adjiciam necesse esse mihi videtur. — Antequam vero ad conceptionem uteri scirrhosi progrediamur ipsam, graviditatis functiones legitimas aegritudinis respectu habito, certius recenseamus oportet.

Conceptionis periodo, primo graviditatis actu, quo corpus et animus incitamentis, quae utramque organismi partem spectant, mirum in modum excitantur, inprimis uteri receptivitas quam maxime adaugetur, ita ut ei germen a matre praeformatum, nec non semine virili ad vigorem revocatum conservandi atque excolendi praebeatur facultas. - Quodsi nunc scirrhum et ejus in uterum reactionem respiciamus, cum primo stadio, quo saepe parvam hujus organi partem modo occupat nec aegrotis molestias adfert, a natura insitam uteri functionem, embryonis conformationem impedire non posse intelligemus. Contra, non absurdum esse videtur, si quis credat, nervorum uteri vim hac affectione morbosa jam adauctam tunc incitamento tantum minori egere, ut gradus vitalitatis ad conceptionem necessarius provocetur, proindeque hunc statum morbosum, nisi a statu nor mali nimis recedat, magis prodesse posse, quum plurima sterilitatis causa praeprimis in eo, quod inter coitum uteri vitalitas ad foecundationem non excitetur apta, posita esse videatur. Facillime vero quispiam opponere potuerit, cur tam raro, quodsi scirrhus conceptionem magis fovere quam impedire valeret, ejus complicatio cum graviditate inveniatur? Ad hoc respondeo, scirrhum plerumque inter tricesimum quadragesimum aetatis annum apparere nec non multiparas invadere, in quibus saepenumero concipiendi facultas jam extincta est. Scirrhi sedes, licet semper respici debeat, hic tamen perexigui momenti est, quum conceptione uterus, quoad formam, si id, quod ejus orificium aperiatur, exceperis, non mutetur- Qua rerum sub conditione huic parti insidens, incommodum quidem afferat, necessarium est, mutatio interim ejus levior, quo minus impedimentum conceptionis habeamus, me quidem judice sat sufficienter impedit. Quem morbum ad stadii secundi finem, ubi scirrhus ad cancrosam metamorphosin tendit, ne conceptio fiat, prohibere non posse majorem admirationem movet, qua de re exempla nos certiores faciunt, quorum unum Sommerus 1) refert, cui foemina annorum triginta septem doloribus ad ossis sacri regionem ac quotidianis per duodeviginti hebdomades durantibus metrorrhagiis affecta, ad curandum se comisit, quam affectionem, accurata exploratione instituta, uteri scirrhum ad transitum in carcinoma propensum esse is mox indicavit, quod dictum deinde exploratio quoque interna confirmavit. Postquam remedia ad finem apta nullo cum effectu quatuor per menses adhibita erant, et dolores die nocteque cruciantes atque uteri haemorrhagiae, quas

¹⁾ Starks Archiv für die Geburtshülfe. Bd. III. St. 3 . pag. 288.

deinde materiae acris foetidaeque fluxus sequebatur, perduraverant, aegrota, nec antea medico et ipsa hoc in statu graviditatem praesumentibus, abortu foetum circiter quatuor mensium egessit. Quo facto symptomatibus morbi omnibus per partum adauctis, eo celerius mors exoptata advenit. - Laesiones vero parenchymatis uteri tantae, tamque variae functionem normalium aberrationes, cum tamen, quo minus organum functionem summam, conceptionem suscipiat, impedire nequeant, naturam functionem organismi muliebris hancce prae ceteris quam maxime fovere, inde elucescere mihi videtur, ita ut res adversae, nisi totius organismi integritatem violent, aut praecipue in totum uterum inimice agant, facilius eam evertere non valeant; nec minus hac re patet, conceptionem minus materialem organismi partem, quam potius nervorum vim spectare, et proinde, minori conditionis partium uteri organicarum respectu habito, normalem systematis sensibilis indolem sibi exposcere.

S. VIII.

Graviditate vero, statu organismi foeminini proprio, quo germen coitu foecundo in uterum depositum non solum conservatur, sed etiam ad majorem perfectionis gradum perducitur, stimulus hoc modo excitatus permanens in toto organismo, nec non praecipue in utero observatur, qui majorem sanguinis congestionem ibi promovet, qua simul uteri vis plastica, primum ovi ad uterum affixione, placentae conformatione, deinde autem foetus nutritione ipsa conspicua, prodit. Perinde vero eodemque tempore uteri ipsius affulget incrementum, ita ut hac in periodo non solum ejus parietes quoad texturam molliores atque crassiores detegantur, sed etiam totus illius ambitus multo magis increscat. Quodsi his breviter indagatis ad scirrhum redeamus, et experientia edocti eum primo in stadio certe foetus formationem semper turbare non valere cognoscamus, dictum nec ullo alio modo melius explicari puto, eo, quod omnis productionis vis ad foetum excolendum dirigatur, et parasito, quae ad eum formandum ac his partibus luxuriandum conferre possit, omnia detrahantur. Multo autem clarius hoc in organorum longe ab utero absitorum affectionibus conspicitur e. g. in phthisi exulcerata, et aliis quae inter graviditatis decursum plane silent, et eo, quod natura vires ad foetum conformandum omnes tendat, illam turbare nequeunt. Quo, foetum propriam vitam degere, quam res externae, nisi in eum ipsum agant, exstinguere nequeunt, non temere concludendum opinor. Cum graviditas vero scirrho uteri praesente sine damno stadia percurrat, periodo modo, qualmorbus nondum ad gradum altiorem pervenerit, primo dico stadio, ubi affectio localis parvam, superficiariam, atque minus incommodam partem occupat, locum invenire potest. Gestationis etenim tempore mali sedes magis quam conceptionis respicienda, quoniam illa uteri amplificatio et incrementum, quae praecipue, quo minus legitime fiant, scirrhus impedire potest, nec eodemque tempore omnibus in partibus haud simul animadvertitur, sed graviditate incunte inprimis illius fundus, deinde corpus increscit, et collum denique extenuatur, qua de causa periodo hac scirrhus portioni vaginali affixus, cum haec pars postremum, partus tempore mutationi subjecta sit, minimum detrimentum adferre potest.

Graviditas scirrho praesente nec aegrota detrimentum exinde percipiente, cum decurrerit, fore ut partus, uteri contractione repetita promotus, natura graviori licet cum difficultate sola perficiatur, sperare licet,

S. IX.

Organismi vero muliebris functiones, graviditas partusque sub affectione uteri schirrhosa non semper ad naturae leges evadunt, ut interdum stadio hujus morbi primo fieri solet, nec non supra breviter indicare operam navavi. Multo saepius scirrhi complicatione tam embryoni quam matri ipsi detrimenta nascuntur permagna, quae recensere nunc in animo est. Plurimum autem hac in re loco ac stadio, quibus scirrhus versatur, adscribendum esse, commemorem vix necesse est. Induratio scirrhosa fundum vel corpus uteri cum occupat, atque ea magno ambitu gaudente non solum ad externum, sed etiam ad intimum ejus stratum usque, tertiam tunicam vasculosam tendit, tempore graviditatis necessariam texturae mutationem ac amplificationem per omnes uteri partes foetus conformationi ac incremento convenienter fieri non posse, quis est, qui dubitet? l'erinde quoque, per germinis incitamentum ad uterum perducto sanguine, quo minus totam ejus texturam pervadere possit, prohibito, vitiosa placentae uterinae, organi ad foe-

tum nutriendum primarii, constructio semper prodibit, quoniam vasa tunicae uteri internae, quorum incremento graviditatis ineuntis celeri placenta uterina gignitur, ob indurationem hujus partis morbosam amplificari nequeunt, nec non partes placentae, cum vasis sanguiferis careant, tantum tela cellulosa adipeque impletae, quae nutritionem foetus imperfectam nunquam non indicant, nascuntur. Quod inferius de scirrho, cum uteri fundo adhaereat, placenta plerumque huic loco affixa, dici meretur. Placenta vero, cum loco indurato nec non scirrho correpta reperiatur, quod jam observatum legitur, foetus nutritio eo magis turbetur oportet. Quae cum ita sint, ne vita jam per se tenera, nec non nutritione imperfecta insuper labefactata, eo facilius plane destruatur, aut si foetus quoque vitam hoc modo debilitatam ad partum usque protraxerit, deinde tamen domicilio pristino relicto, peregrinis quae in vitam inimice agunt, incitamentis certe succumbat, fieri non potest. Nec minus autem, si uteri collum scirrho correptum est, illius functio subvertitur, secretio nimirum muci, quo coagulato uterus clauditur, nec non omnis aditus, quo minus germinis ad interum formatio turbare possit, ad eum impeditur. jora vero incommoda ac certius scirrhum ad altiorem perfectionis gradum jam provectum sequuntur. Cum vitium scirrhosum nimirum jam in eo versatur, quod in carcinoma transire tendat, non solum maxima ad foetum conformandum sanguinis pars ad secretiones morbosas impenditur, et hoc modo illi nutrimentum necessarium detrahitur, sed eo quoque,

quod totus organismus irritamento hujus vitii tam vehementi debilitatur, mors, proindeque ante tempus justum ex utero rejectio adducitur. Quae embryonis per uterum anomala promotio, eo facilius contingat, necesse est, quo magis carcinoma ad locum placentae affixum ejus vasa sanguifera corrodat, et ita haemorrhagias gravissimas, quibus foetus a matre disjungitur, provocet, cujus historia, quam Sommerus refert, supra indicata certissimo nobis argumento est.

Incommoda ex eodem fonte promanantia, partus periodo haud dissimilia conspiciuntur. Primo scirshi stadio, quo affectio localis minoris ambitus graviditatem non laesit, partus quoque a natura quidem perfici, etsi, quod uteri collum scirrho praebeat sedem, illius amplificatio non solum tempore longiori sed etiam gravioribus cum doloribus finiri potest, quibus parturiens quam maxime debilitatur. - Altiori autem vitii gradu viribus totius organismi, nec non inprimis uteri jam labefactatis, hic foetum expellendi functionem vel plane non peragere poterit, vel cum tamen sub omnium virium intensione hoc negotium perficere valuerit, mater huic certe succumbet, quam ob rem, ne hoc hat, foetus promotio auxilio artis absolvatur necesse est, de quo etiam sequenti in historia exemplum exstat, was a somi and

bus de laustenibus, quax p.g muse separation

Vi adversa, quam scirrhus in graviditatem exserere solet breviter enarrata, et vice versa hujus inillum recensere e re existimaverim.

Neminem, ne mediocriter quidem in his rebus versatum, irritabilitatem uteri graviditate incipiente

adauctam semper quoque indurationi scirrhosae incitamento recenti ad eam excolendam maxime favere. nec non sic detrimenta permagna adducere debere, fugiet. Sub graviditatis initio quidem, si scirrhus ad altiorem perfectionis gradum nondum pervenerit, ne hic parasitus, quod summa uteri functio, conceptione provocata, foetum conformandi atque servandi, praedominatur, ideoque omnis vis productiva hunc ad finem tendit, celerius incrementum ut capiat fieri posse, etiamsi concedam, deinde tamen hic processus morbosus, functione illa sub finem gestationis extincta, offensionibus utero inter partum ipsum adlatis denuo excitatus, magis increscit, quum non solum uteri substantia inter graviditatis decursum mollior et spongiosior, sed etiam sanguis huc usque ad uterum majori ejus vitalitate adductus, scirrhi incremento faveat. Quodsi vero scirrhus intrante graviditate ad stadium secundum usque jam pervenerit, tunc multo celerius ille canceptionis ac graviditatis incitamentis semper turbatus, in carcimona mutatur, et eo, quod secretio loci adfecti anomala ad foetus detrimentum adaugetur, atque partes vicinae semper magis magisque in consensum trahuntur, non solum foetus sed etiam matris mors adducitur. - Maxime vero scirrhus inter partum ipsum uteri contractionibus et laesionibus, quae placentae separatione exoriuntur, afficitur, nec non ejus transitus ad cancrum acceleratur.

S. XI.

Diagnosin, quoad complicationem graviditatis cum uteri scirrho semper difficillimam esse, nemo non facile intelliget. Omnia jam per se incerta graviditatis signa hoc in statu a scirrho mutata vel plane non observantur, vel si adsint, morbo praesenti non temere adscribuntur. Proinde tantum concubitus hoc tempore celebratus, quem foemina confitetur, medicum eo perducere potest, ut omnia accuratius perscrutetur, nec omnem graviditatis suspicionem statim removeat. Quod dictum praecipue valet, cum scirrhus orificio aut collo uteri insideat, et jam ad stadium secundum usque provectus sit. Quodsi enim fundum aut corpus uteri occupet, nec non sine magnis molestiis lateat, exploratio interna diligenter instituta graviditatis signa, quamquam incerta, medico adhuc praebere potest.

S. XII.

Exempla vero, quae graviditatem cum uteri scirrho combinatam confirmant, nonnullis scriptoribus,
ut prae ceteris Boerum 1) et Sommerum 2) laudem,
commemorata inveniuntur. Praeprimis vero Illustris,
de Siebold complures hujus generis complicationes
obviam venere, quarum unam, quae in instituto obstricio Illius sub auspiciis evenit, opere infra commemorato 3) enarravit. Haud dissimilis et mense Ian.

¹⁾ Abhandlungen und Versuche geburtshülflichen Inhalts von L. J. Boer.

²⁾ Stark l. c. Bd. III. Stck. 3. p. 288.

Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- u. Kinderkrankheiten von A. Elias von Siebold. Bd. III. Stück I, pag. 49. sqq.

a. c. observatio Ei contigit - Jam nihil restat, quam ut morbi historiam supra dictam lectoribus tradam:

Genofeva Bl - , quadraginta annos nata, aetate infantili semper sanitate perfecta, exceptis variolis, gavisam se esse affirmavit. Menses primum anno aetatis decimo quinto cum doloribus in regione ossis sacri edidit, et respectu quantitatis et qualitatis re. gulares usque ad primam anni vitae vicesimi secundi graviditatem semper certo tempore redierunt. Per omne graviditatis tempus bene valuit. Partu exiguos ob dolores quatuor per dies protracto cum magno nisu multisque molestiis manu rudi obstetricis, [quae infantem extrahere studuit, perficiebatur. Quam ob rem deinde puerpera quatuor per septimanas aegrotavit; partes genitales externae tumebant, totum abdomen, praecipue in uteri regione sub attactu valde dolebat, simul febris et alvi obstructio apparebant. Sine omni medicamenti auxilio, excepto infuso florum chamomillae, quo pro potu ordinario utebatur, hae omnes molestiae disparuerunt, et puerpera rursus bene se habuit. Lochiorum fluxus quidem hoc aeque ac in sequentibus puerperiis, quoad quantitatem parcus et cum doloribus consociatus erat. Puerum, quem peperit per decem menses lactavit. -Posthac menstruatio iterum ad typum consuetum rediit, nec laesa usque ad graviditatem secundam, duobus annis post secutam et sicuti partus ac puerperium prospere succedens in conspectum prodit. Puellam natam duos per annos mammis nutrivit. Optima deinde semper valetudine gavisa; decem annis post

febre intermittente tertiana corripiebatur, quae per novem septimanas producta sponte recessit. Menstruorum fluxus ob hunc morbum unum per annum interceptus, deinde ad regulam quatuor annos, nova conceptione impedita, normalem rediit. Graviditas, partus et puerperium superioribus non dissimiles fuerunt. Puerum, quem partu edidit, duodeviginti menses uberibus admovit. Tribus annis praeterlapsis mense Augusto iterum gravidam se esse persensit. Cujus ultimae gravididatis decursu menstrua semper, turbata licet, fluxerunt, ita ut typum hebdomadum trium absolverent et sanguinis loco fluidum album mucosum copia sat magna rejiceretur. Quo tempore praeterito haēc nunc valde profusa, quamquam rubra sed sub specie massae sanguinis coagulatae, semper gravibus doloribus stipata apparuerunt. Ceterum gravida continuam lassitudinem et artuum torporem sensit, nec opus consuetum peragere potuit; simul magnis de doloribus in ossis sacri regione ad crura usque tendentibus, cephalalgia et calore adaucto conquesta est. Die undecimo mensis Martii fluxus menstrualis eundem supra jam descriptum statum adhuc observans, ultimum provenit. Quo facto, omnibus exacerbatis, medicus arcessitus, mixturam e tincturae thebaicae scrupulo uno et aqu. melissae unciis sex compositam propinavit. Quam aegrota gravidam se esse affirmaret, protinus ab obstetrice explorata est, quae non solum graviditatem veram sed etiam partum ineuntem indicavit, quam ob causam instituto obstetricio Wuerzburgensi, cui Illustriss. de Siebold, praeerat, tradita est. Status, dolores in abdominis

regione imminutos si exceperis, adhue idem fuit. Exploratio vero accurate instituta docuit: abdomen rugosum, in latere dextro durius, vaginam valde amplificatam, magnam mucosae cum sanguine commixtae materiae copiam secernentem. Orificium uteri ad thaleri magnitudinem apertum, inter mediam et inferiorem pelvis aperturam, dextro in latere crassum ac multifarie incisum in latere vero laevo planum atque extenuatum erat. Ex uteri orificio massa tuberculosa dura eminebat, quae cum uteri ore ad latus sinistrum cohaerebat, et hoc loco sub tactu dolebat. Juxta uteri oris crassam partem nec non massam eminentem descriptam digitus in uterum induci potuit. Digiti explorantes sanguine materiae mucosae similem foetorem dispergente obducebantur. - Ex his autem omnibus, quae observabantur, morbum uteri scirrhum esse elucere videbatur. Quam diagnosin confirmavere praecipue haec:

- a. Aegrota, ut ex ejus narratione concludi potuit, in primo puerperio uteri inflammatione laboraverat, quam scirrhi origo non solum semper postulat, sed etiam ad quam uterus, organon valde irritabile, praecipue propendet.
- b. Rudis obstetricis tractatio, quam aegrota inter partum primum toleraverat, sicuti partus difficilis.
- c. Fluxus menstruorum non solum quoad typum sed etiam quoad qualitatem et quantitatem perversus.
- d. Aegrotam longius ante tempus morbo venereo vehementer affectam fuisse compertum erat,

- e. Aegra ea aetate erat, qua facillime scirrhus
- f) Reliqua sypmtomata: Proprius torporis artuum sensus, graves in ossis sacri regione dolores, qui usque ad crura descendebant, dolorificus sensus in abdomine, effluxus sanguinis e vagina ejusque foetor, febris symptomatibus, quae debilitatem systematis reproductivi significabant, stipata. Quae signa omnia scirrhum maxime manifestant,
- g) Denique exploratio, hujus morbi diagnosin comprobans, quam supra accurate communicavi, huc pertinet.

Sed quod alteram praesentis graviditatis quaestionem attinebat, nihil certi de hac dijudicari potuit, cum aegrota definite non indicaret, se motum foetus sensisse, quamquam sub attactu abdominis lenis motus foetus agitationi similis observatus est. Cetera argumenta, quae graviditatem probare videbantur, fuerunt: a) Abdominis extensio, praecipue durities in latere dextro, quae tangenti digito repugnavit, Ex scirrho enim, certe in hoc casu, ubi tantum uteri orificio morbi domicilium sistebat, extensio repetenda non fuit, licet quoque haec, si aegrota indicato tempore concepisset, nimis parva fuerit, sed cum haec, ut ipsa confessa est, deinde saepe coitum celebraret, quoque seriori tempore germen foecundum in se recipere potuit. b) Forma uteri oris rotunda, margo ejus crassa et praecipue mollities. Quamquam tantum in latere dextro crassum et molle, in latere sinistro contra extenuatum, durius et concretum tangebatur, tamen hoc non probat, id statim ab initio hanc formam praebuisse, sed verisimilius est, sequenti tempore scirrho magis magisque formante illam mutationem in latere laevo exortam esse.

- D. Martii XIII. nocte aegrota sat vehementi magnis cum doloribus consociata affecta est diarrhoea; excretum ipsum quoad consistentiam tenue, mucosum, sed sine sanguine ruit; Quapropter emulsio e gummi arabico confecta et cum opii parte remixta propinata est. Ceterum magnum languorem, lassitudinem atque crebram horripilationem accusavit, quae omnia appropinquantem febrem lentam indicaverunt.
- D. Mart. XIV. Diarrhoea emulsione illa praescripta sumta recessit, nec rediit, ita ut aegra modo de lassitudine, horripilatione et siti conquereretur. Per noctem bene dormivit.
- D. Mart. XV. Matutino tempore diarrhoea, tamen lenis rediit, ita ut tantum duae sedes secutae sint, quae autem emulsione illa reiterata mox disparuit. Vespere magno cum appetitu cibum sumsit. Ceterum status idem erat, exceptis doloribus, de quibus in abdomine conquerebatur. Noctem inquiete et sine somno transegit.
- D. Mart. XVI. Dolores abdominis, ad ossis sacri atque femoris regionem increscebant; deinde quoque effluxus sanguinis e vagina, parva interim quantitate advenit. Horripilatio semper eadem nec non sitis, praesertim de magna anxietate conquesta est. Tempore pomeridiano iterum excretione alvi mucosa cum doloribus secuta, emulsio jam comme-

morata rursus praescripta est. Per noctem prorsus insomnem diarrhoea recrudescebat, ac reliqua symptomata exacerbabantur.

- D. Mart. XVII. Per diem diarrhoea cessavit, et primam sequentis noctis partem aegra quiete dormivit, reliqua vero ob alvi excretionem lectum ut relinqueret, coacta est. Accedebant deinde calor neo non sudor vehemens.
- D. Mart. XVIII. Status hodierna die melior, et aegra nihil habuit, quod accusaret, vespertino tempore iterum alvi excretiones sequatae sunt. Per noctem somnus vehementissimo diarrhoeae impetu interceptus, sedes ut antea mucosae et earum excretiones dolorificae. Opium nunc hac sub forma exhibitum est
 - Recip. Opii puri grana quinque, tere cum Decocti radicis Salep unciis septem, adde Syrupi communis drachmas tres.
 - M. D. S. Omni dimidia horae parte cochlearium unum.

Ceterum per totum morbi decursum nutrimenta roborantia, inprimis jusculum carnis exhibita sunt.

- D. Mart. VIX. Status superiori haud dissimilis, tempore noctis aegrota iterum diarrhoea vexata est.
- D. Mart. XX. Nulla recidiva observata est, dolores autem usque perseveravere; vespere foetus motus distincte sensit, qui, ut indicabat, iis in graviditate antecedenti similis, sed fortiores et dolorifici fuerunt. Noctem ad horam tertiam usque quiete

transegit, quo tempore iterum duae alvi excretiones secutae sunt.

D. Mart. XXI. Status per diem mitior; foetus agitationes manu abdomini imposita nunc distincte sentiebantur. Nocte sequenti sedes repetitas edebat.

D. Mart. XXII. Status aegrotae sine magnis molestiis, noctu tantum diarrhoea rediit.

D. Mart. XXIII. Matutino tempore liquor amnii paene sine omnibus doloribus et improviso effluxit. Exploratione instituta uteri os atque vagina amplificata nec non supra introitum corpus durum tangenti digito apparuerunt. Parturienti situs ossis sacri elevatior et in latere dextro, quo durities maxima tangebatur, normalis. Post meridiem interdum dolorum levium ei sensus fuit, quo semper parca liquoris amnii copia effluxit. Paulo serius caput foetus, ad hoc tempus usque in pelvi magno supra ossa pubis situm erat, ad pelvis parvi introitum descendit. Nox quiete praeteriit, matutino autem tempore diarrhoea rursus supervenit.

D. Mart. XXIV. Meridie parturiens summa lassitudine ac debilitate, ita ut pulsus sentiri vix posset, nec non horrore sat forti, cui calor succedebat, correpta est, sitim vehementem, quae eam vexavito vix exstinguere potuit. Tam cum hoc sub statu aegra in periculo vitae versaretur, nec partus a natura perfici posset, foetus vero ipse, ut antecedentes ejus motus indicare videbantur, adhuc vivus credetetur, constitutum est, ut partus auxilio artis finiretur. Ad vires sustinendas hoc praescriptum est:

Recip. Tinctura thebaicae scrupulum unum.

cinnamomi scrupulos quatuor.

Aquae Melissae uncias quinque.

Syrupi cinnamomi drachmas tres.

MDS. Exhibeatur omni quadrante horae cochlearium unum.

Prognosis pessima fuit, quoniam ob universalem magis magisque crescentem debilitatem timescendum erat, ne mors subita inter partum adveniret. Ad partum peragendum versionis indicatio fuit, sed magnum operationis impedimentum scirrhosa induratio, uteri ori affixa, praebere videbatur, nihilominus tamen fieri non potuit, ut uteri orificium aliis instrumentis quam manu extenderetur. Situs foetus, nunc accurate exploratus erat hic: Capitis pars occipitalis ad dextrum, facies ad sinistrum, partes laterales dextrae ad ossa pubis, pedes ad sinistrum antrorsum positi fuere. Qui cum manu sinistra illata adduci non potuerint, mannus dextra inferebatur et alter post alterum extrahebatur. Maxima difficultas in brachiorum cruciatorum solutione fuit. Caput facili negotio modo arte manuali extrahi potuit. Inter operationem muco commixti nec non foetorem dispergentis sanguinis copia effluxit. Infans jam mortuus editus est, nec omnibus artis auxiliis adhibitis in vitam revocari potuit. Lanugo autem, color pallidus et alia signa foetus exclusionem ante justum tempus testata sunt. Placenta statim post partum auferebatur, cui excrescentia quaedam scirrhosa infixa fuit. - Post partum aegrota de doloribus in abdomine conquesta est; pulsus frequens et plenus, atque hora vix praeterlapsa, frigus praevalidum puerperam crucians observabatur, Medicamina supra memorata, adjecta diaeta uutriente, ad vires sustinendas continuabantur. Vesperi aegrota quam maxime debilitata, moveri non potuit, pulsus debilissimus, lypothymiae frequentes. Ut medicaminum vis augeretur liquor anodynus adjectus est. Paulo post status melior: aegrotam hilariorem, frigore vacantem, pulsum fortiorem, et abdomen sub attactu indolens observare licuit, effluxus uteri cinereus et pessime foetens. Per noctem aegrota dormivit.

D. Mart. XXV. Horis matutinis puerpera do. lores sat magnos in abdomine, si tangebatur, supra ossa pubis sensit, pars sinistra ejus durior dextra, pulsus frequentior et plenior observabatur. Excitantium loco decocti herbae cicutae injectiones praescriptae sunt; tempore meridiano pulsus lentior, aegrota ad somnum propensa, paulo post statu mitiori nec nisi de ardore sitique conquesta. Noctem sequentem sub doloribus ad abdomen vehementibus degebat, ita ut cataplasmatum usus exposceretur.

D, Mart. XXVI. Horis matutinis anxietatem, cephalaeam, ardorem atque dolores continuos persensit; pulsus celer et subdurus, lochiorum fluxus valde copiosus. Qui dolores cum luculentissime uteri inflammationem demonstrarent, frictionibus oleosis adjectis, propinabatur haec:

Recip. Nitri puri drachmam unam,

Decocti radicis Altheae uncias sex,

Syrupi de Althea unciam dimidiam,

MDS. Exhibeatur singulis quibusque horis

cochlearium unum,

Noctem aegra inquiete transegit, quod rursus

diarrhoea vehementi vexabatur, qua de causa opium adhibitum est.

D. Mart. XXVI. Per partem huius diei secundam atque noctem, diarrhoea dispersa, aegrota dormivit. Decoctum salep atque cibaria nutrientia, cataplasmata quoque specierum cephal. supra genitalia, quod tumor nec non fluxus ichorosus e vagina adfuere, in usum vocabantur. Qui status quoque sequenti die idem fuit.

D. Mart, XXVIII. Per noctem aegra faciei convulsionibus pressa suique inscia, cum vitam hoc rerum statu ad meridiem usque protraxisset, hora demum pomeridiana tertia Mart. XXIX. fatis cessit.

Sectione instituta haecce reperta sunt: Tractus intestinalis, superficies peritonaei interna, uteri fundi praeprimis cutis externa nec non tubae utriusque lateris vestigia inflammationis sat vehementis luculentissima manifestarunt. Dextro e latere inferioris uteri partis, quae corrosione plane destructa fuit, magna saniei copia profluxit. Portio vaginalis, vesica nec non anterior vaginae paries, ita ut utriusque cavum communicaret, haud dissimilem indolem ostendere. Uterus quoad longitudinem septem, quoad latitudinem vero quatuor pollices explevit.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Carolus Gotthelf Stricker anno superioris saeculi nonagesimo quarto natus sum in vico Lusatiae superioris Koenigshain prope Gorlicium sito pater Christiano Gotthelf Stricker t. t. villico, matre Friderica Charlotta e gente Hartmanniana. Nunc amborum mortem jam ex pluribus annis pius lugeo, et per totam vitam lugebo. - A tenerrima iuventute parentum dilectissimorum cura literarium rudimentis, quibus animus puerili aetate imbui solet, institutus sum. Anno vitae decimo secundo pater optimus etiam curam gessit, ut primis linguarum praecipue veterum elementis instituerer, quibus in linguis primam institutionem Diacono Seidenbergensi M. Kley debeo, cujus cura eo perveni, ut anno aetatis decimo tertio elapso Gymnasio Gorlicensi tradi possem, quod per septem annos, auspiciis viri summe venerandi Antonii Rectoris, frequentavi. Cursu scholastico finito mense Majo anni XV. hujus seculi Lipsiensem Academiam, medicinae operam daturus petii, cujus civibus a Beckio, Rectore t. t. Magnifico, adscriptus Praeceptores autem ibi me singulas medicinae disciplinas docentes, audivi: Platnerum atque Heinrothum in philosophicis; Schwaegrichenum in rebus botanicis, zoologicis et mineralogicis; Rosenmuellerum et Bockium in anatomia tam theoretica quam practica; Eschenbachium et Gilbertum in scholis physicis et chemicis; Platnerum atque Pucheltum in physiologia, anthropologia et pathologia; Platnerum in Psychologia; Eschenbachium et Schwarzium in scholis pharmaceuticis nec non pharmacologicis; Haasium in pathologia et therapia speciali; Kuhlium et Ritterichium in chirurgia atque fascias alligandi doctrina; Ioergium in arte obstetricia tam theoretica quam practica; Platnerum in medicina forensi; Ceruttium in anatomia pathologica. Scholam clinicam auspiciis Clari, nec non policlinicum duce Puchelto frequentavi.

Sub autumnum anni XVIII. in Universitatem Berolinensem me contuli, Hic vero praelectionibus de Akiurgia Illustr. Graefe, nec non operationibus Experint. Iuengken ophthalmiatricis interfui; institutionibus obstetriciae practicae Illustr. de Siebold, scholis autem clinicis Perillustr. Hufeland nec minus Illustr. Berends usus sum. Instituta clinica chirurgica Illustr. Graefe ac Celeber. Rust frequentavi, nec exercitationibus medico practicis in nosocomio caritatis Illust, Horn abfui.

Tentamine vero et examine rigoroso absolutis, spero, fore, ut defensa hac dissertatione summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAR

botanicis, scologicus et miscratoricis; l'esconoci

Hassium in pathologia et Lerapia specialit Kublium

Ad conceptionem semen virile in tubas Fallopianas penetret necesse esse nego.

quam practice; PlatoenegHo medicina forensi; Ce-

Chlorosin non a menstruis suppressis, sed a nutritionis functione labefactata, originem petere.

III.

Sunt morbi insanabiles, land members

Berolinensem me contuli, VIII o vero meseleci

Medicamentorum divisionem secundum chemiae principia optimam esse puto.

Bilipses. Records usus sum. Institute chicken chirac-

contracts telept. Horn ablui.



